



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1702. usque ad annum 1708

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1781

VD18 13322648

§. 36. Plura Sacrarum Congregationum decreta.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67633](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67633)

posito nomine Clementis Cosmi Albani Sæc. XVII. A. C. 1703.
 abluisset, Cosmum magnum Etruriæ
 Ducem rogabat, ut Neophyto huic,
 ejusque rebus adesse, & ejus uxorem,
 ac filiam, si illius vestigia sequi inten-
 dant, ita juvare velit, ut id exequi
 non impediatur.

§. XXXVI.

*Plures Sacrarum Congregationum
 decisiones.*

Inter alia plura SS. Congregationum Bull. magn. pag. 24. Const. S. Congr. Rit. Concil. &c.
 decreta die duodecima Martii sta-
 tutum legimus, quod Collegiata sæcu-
 laris præcedat Collegiata Regulari:
 inculcatum quoque omnibus Ecclesiæ
 Cathed. vel Collegiatae inservientibus,
 ut in Choro cum omni reverentia, si-
 lentio ac modestia assistant, & sine
 præcipitatione vel obtruncatione ver-
 borum psallant. Die autem vigesima
 sexta Martii S. Congregatio Propagan-
 dæ fidei Vicariis Apostolicis & Missio-
 nariis in Anglia injunxit, ut sæculari-
 bus, politicisque negotiis nequaquam
 sese immiscerent, sed Evangelico dun-
 taxat ministerio intenti sint. Declara-
 tum quoque die duodecima Junii a S.
 Immunitatis Congregatione, quod dun-
 taxat ad locorum Ordinarium pertineat
 recognitio Brevium Indulgentiarum a

Sæc. XVII. Papa recens concessarum, & sine eorum auctoritate nullus illas publicare possit, non obstante exemptione, et si pro Regularium Ecclesiis concedantur. Insuper die decima octava Julii S. Inquisitionis Congregatio libellum, cui titulus, *Loteria spiritualis pro animabus purgatorii* suppressit, non propter suffragia pro iisdem animabus, sed propter præfatum titulum & modum, qui est profanus & Christiana pietate indignus. Respondit etiam die decima octava Augusti S. Concilii Congregatio desuper interrogata, quod Nuntius Apostolicus non possit concedere Indultum, vi cuius Missæ celebrandæ in loco a Testatore designato alibi celebrentur. Eadem quoque Congregatio die decima quinta Decembris prohibuit, ne Episcopi in aliena Diœcesi & extra domum propriæ habitationis in privatis laicorum ædibus Altaria erigant, ibique per suos Sacellanos Missam celebrari curent, & ne Regulares in privatis Nobilium Oratoriis celebrent, vel plures Missas, quam indultum est, vel absentibus, quibus hæc gratia est concessa, vel extra debitas horas & post meridiem vel diebus alias prohibitis celebrent. Statutum quoque, ne Eremitæ per Urbem vagentur, sed sese recipiant ad loca eis assignata.

nec

nec habitum cujuscunque Religionis Sæc. XVII.
 deferant, nisi sint Tertiarii. A. C. 1703.

§. XXXVII.

Concilii Provincialis Albani decreta.

Hoc item anno Clemens XI. Pontifex Mansi t. 6.
 Maximus Vincentio Zmaievich An-supplem.

tibarensi Archiepiscopo ac totius Regni
 Servia Primati, necnon Apostolico in
 Albania Visitatori præcepit, ut Albanæ
 Provinciæ Ecclesias visitaret. Hic ergo
 Pontificiæ voluntati morem gerens,
 cum non paucas corruptelas irrepisse
 nosceret, Dominica secunda post Epi-
 phaniam in Ecclesia S. Joannis Baptistæ
 de Merchigne Alexiensis Diæcesis Pro-
 vincialem seu Nationalem celebravit
 Synodum, cujus decreta anno hujus
 sæculi sexto ex Typographia S. Con-
 gregationis de Propaganda fide latino
 sermone prodierunt, in quatuor partes
 divisa: Statutum igitur, ut Apostatæ
 a fide Catholica ad Mahometismum
 transeuntes ad Sacramentorum partici-
 pationem non recipiantur, nisi facta
 prius abjuratione publica: qui vero
 non reipsa, sed duntaxat se a fide vera
 defecisse fingunt, proin in Turcarum
 consortio Turcico more vitam degunt,
 ab hac communione excludantur: San-
 citum quoque, quod interrogatus de